



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1656**

§. 265. Et cum transisset sabbatum. v. 1.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

178 PASSIO D. N. SECUNDUM MARCUM

men habens, amore Christi flagrantes diligentius obseruabant locum se pulchri corporis positionem, lapidis aduolutionem, ut iam transacto sabbatho possent officium amoris & deuotionis offerre, resurrecturo adesse, ut factum docet Matthæus. Hæ enim duæ personæ in fide resurrectionis, fundatissimæ, nunquam in eo vacillasse videntur. Propter quod etiam prima sabbathi, sine aromatibus ad videndum solum sepulchrum venisse Matthæo narrantur.

**S**aluete igitur Heroïnæ & primæ fideles in Christi Ecclesia. Vos estis duo luminaria valde ante Deum lucentia, ante homines ardentia, vnum Iustitiae immaculatae exemplar, alterum iustitiae recuperatae. Ego vos honoro, & adoro, adoratione quidem non Deo debita, sed quæ creature summa dari potest, quia vos honorastis Dominum meum pro me credendo magis, quam vngendo.

CAP. XVI.

RESURRECTIO D. N. SECUNDUM MARCUM

§. 265. Et cum transisset sabbatum. v. i..

Post passionem etiam resurrectionem Domini diligenter describunt Euangelistæ propter Mysterium mortificandi in nobis peccati per penitentiam, & resurrectionis per iustificationem ad bona opera, ut docet Paulus. illo igitur explicato alterum non excludo. Quid igitur? & quomodo S. Marcus Resurrectionem Domini exponit: videamus.

Narrauerat iam quomodo Feria vi. ante illucescens sabbatum Magnum Paschæ (hoc enim semper ad primas vespertas inchoabatur) sepultus fuisset Dominus à Iosepho in monumento lapideo, & à duabus sanctissimis mulierum omnium per fidem in corde. Transmissò igitur sabbato illo Iudaico iam infatuato, per impletionem veritatis, aggreditur narrare historiam Resurrectionis & docet quomodo non credentibus resurrectionem Domini, eadem sit manifestata, dicens: Et cum transisset sabbatum Maria Magd. & M. Iacobi, & Salome emerunt aromata: quare puerus ostendit, ut mortuum Dominum angustia temporis exclusi Feria vi. vnguent Feria i. nam sabbatho tale opus plane illicitum videbatur.

**O**Mulieres, vos quidem zelum habetis, sed certè non secundum scientiam vel Fidem B. Mariæ Magdalenz alterius & B. Mariæ Virginis, illæ credendo gratius fecerunt Domino opus, quam vos emendo, & parando aromata, quia sine fide impossibile est placere Deo.

§. 266.